

fiunt; hinc ruina illis impendet; nam molle otium illos facîle in bellum aut civile, aut cum vicinis impellit, & cum molles, & effæminatos, reddiderit, efficit etiam, ut bellum temerè susceptum malè administrantes, vincantur. Hoc Statua Nabuchodonosoris, illud Monarchiarum simulacrum, indicabat, quæ cum pedibus è limo formatis sustentaretur, unius lapilli casu est collapsa. Lutum quippe immunditiæ, atque corporalium cupediarum ita quæcunque Imperium disponit, ut pauculis ictibus in ruinam detur: quemadmodum omnibus Imperiis, quotquot ab Assyriis ad usque nostra tempora modicum perdurârunt, legimus accidisse. Et illa quidem Assyriorum Monarchia per impudicam vitæ rationem, cui jam inde ab ortu suo assuevit, est collapsa.

Chaldæi quoque inter pellices, & convivia, Persæque, dum mulieribus vel maximè vacarent, ab hostibus sunt superati.

Ipsi etiam Romani mundi dominium perdididerunt, cum maximè appetitui impuro frena laxassent, ut advertit Augustinus. Ita Carthago periit: illudque semper his vitiis effectum est, ut mundi moles concuteretur. Hinc eleganter cecinit Prudentius in Hamat.